



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio XXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

iure seruanda est, aut seruari sufficit in notoriis, renuntiare non intendit, neque ad seruandum iudicarium ordinem se obseruare adstringit quouis modo. Qua schedula lecta, reuerendissimus pater dominus Ostiensis praesidens nomine huius sanctae Synodi super dicta schedula & contentis in ea respondit per verbum, Placet.

ANNO
CHRISTI
1416.

ANNO
CHRISTI
1416.

SESSIO XXXIII.

ANNO & indictione quibus supra, die vero Mercurii duodecima mensis Maii fuit celebrata sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi. In qua reuerendissimus pater dominus Nicolaus archiepiscopus Gneznenfis Missam celebrauit. Fuitque praesidens huic sessioni reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, vicecancellarius, sanctae Romanae ecclesiae cardinalis. Et intererat huiusmodi sessioni serenissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum & Hungariae rex, indutus vestimentis imperialibus, coronam in capite habens, adstantibus sibi reuerendissimis in Christo patribus & dominis, domino Angelo Praenestino, & Iordano Albanensi, episcopis, sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus; illustrissimis principibus Rodulpho Saxoniae in ense, Ludouico Bauariae ducibus in pomo, & Friderico marchione Brandeburgensi in scepro, & habitibus consuetis sibi seruientibus. Demum lectis litaniis vna cum aliis deuotis orationibus, vt moris est, ascenderunt ambonem deputati & commissarii in causa haeresis, &c. contra Petrum de Luna, in qua reuerendissimus pater dominus Guillelmus tituli sancti Marci sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis fecit relationem, dicens in effectu, quod ipsi commissarii processissent in causa, ad ea quae eis fuissent commissa, quia primo ipsum Petrum de Luna, Benedictum decimumtertium in sua obedientia nominatum, ad dandum & dari videndum articulos vocassent, & deinde certos articulos per procuratores causae oblatos recepissent, eosque ad probandum admisissent, testesque octo & triginta, cardinales, archiepiscopos, episcopos, praelatos, doctores, & alios super eisdem recepissent, iurareque fecissent, ac eos diligenter examinassent. Insuper dicto Petro de Luna sic sufficienter vocato, nonnulla

ANNO
CHRISTI
1416.

nulla iura per procuratores producta in modum probationis recepissent, eaque probari fecissent, & probata esse decreuissent, & hæc omnia & alia per eos in hac causa acta, in actis redigi fecissent, prout in registro in hac causa per eos fieri mandato plenius continentur, offerentes se plenius & explicite magis relatores, quando Synodus duxerit mandandum. Relatione autem huiusmodi facta, accusabatur contumacia Petri de Luna, non videntis aperiri dicta testium in huiusmodi causa productorum: & in contumaciam petebatur iterum in valuis maioris ecclesie vocari, & ad vocandum aliquos deputari. Atque extunc reuerendissimus pater dominus Ioannes Ostiensis huiusmodi sessioni præsidens, nomine Synodi deputauit reuerendissimos patres & dominos ad vocandum præfatum Petrum de Luna, videlicet Odonem de Columna, Lucidum de Comitibus, cardinales; Viennensem archiepiscopum, Feltrensem, Tridentinensem & Lichfeldensem episcopos, & Antonium Taxal generalem ordinis sanctæ Mariæ de mercede, Thomam Poltensem & Iacobum Rhodini, sedis apostolicæ protonotarios, vna cum præsentis causæ scribis, & Franciscum de Mediolano sanctæ apostolicæ sedis cursorem. Qui deputati vocarunt & citarunt præfatum Benedictum per cursorem antedictum, in hunc modum: Est hic Petrus de Luna, Benedictus decimustertius in sua obedientia nuncupatus, vel aliquis pro eo, qui compareat pro eo, ad videndum aperiri dicta testium, &c. Deinde dictis deputatis de valuis reuertentibus, dominus Lucidus cardinalis de Comitibus nomine condeputatorum retulit, ipsam vocationem per cursorem antedictum trina vice fuisse factam, neminemque ibi comparuisse, aut aliquod verbum respondisse. Quo facto, & iterum petito publicari dicta testium, & decerni terminum ad dicendum contra dicta huiusmodi, reuerendus pater & dominus, dominus Stephanus episcopus Dolensis legebat quamdam decreti papyri schedulam tenoris subsequens.

Decretum de publicatione attestacionum, & citatione ad contraobiiciendum.

Hæc sacrosancta generalis Synodus Petrum de Luna,
Concil. Tom. 29. Aaaa

Benedictum decimumtertium in sua obedientia nuncupatum, vocatum legitime & non comparentem, reputat contumacem, & in illius contumaciam testes, attestationes & dicta testium in presentia causa inquisitionis mota & pendente contra eundem Petrum de Luna, Benedictum decimumtertium a nonnullis nuncupatum, productorum & examinatorum, publicat, ac pro publicatis habet, & decernit eidem Petro de Luna Benedicto copiam dictarum attestationum & totius presentis processus fieri, & assignat eidem Petro de Luna Benedicto (vt pramittitur) vocato terminum peremptorium ad diem Sabbati proximum mane hora septima in presentia ecclesia & loco superiori prope altare sessionis, ad dicendum, obiiciendum & proponendum coram commissariis nuper ad testes recipiendos & examinandos, & cetera per eandem Synodum deputatis, quidquid dicere, obiicere vel proponere voluerit contra testes in hac causa productos, & eorum dicta, nec non contra instrumenta, & *registralia, & alia quaecumque producta, & in tota ipsa *registra causa & singulis eius discursibus, & ad hoc ipsum peremptorie citat, presentibusque commissariis & eorum maiori parti, ceterisque etiam minime impeditis, ad audiendum & recipiendum omnia, quidquid dicere, obiicere & proponere voluerit, & super illis cognoscendum, atque omnia & singula faciendum, quae ad causam & processum huiusmodi pertinent & pertinebunt, vsque ad sententiam definitiuam exclusiue, ac super eorum dependentibus, emergentibus & connexis, dat eadem sancta Synodus plenam & liberam potestatem. Protestatur autem eadem sancta Synodus, quod per hunc processum, aut alium quemcumque in futurum fiendum in huiusmodi causa, a forma processus super notoriis, quam sufficit seruare de iure, recedere non intendit.

Qua itaque decreti schedula lecta, per reuerendissimum in Christo patrem & dominum, dominum Ioannem episcopum Ostiensem, sanctae Romanae ecclesiae cardinalem & vicecancellarium, huiusmodi sessioni praesidentem, nomine Synodi fuit responsum, Placet.